



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Eivsdem Tobiaë Ad Filium pia exhortatio. Tob. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Si mea posteritas vr̄bis spectare secundos
 Hos queat euentus, ipse beatus ero.
 Sapphiro stabunt portæ, viridique Smaragdo,
 Cinget eam præstans nobilitate lapis.
 Mundicie ingenti platearum strata nitebunt,
 Plenaque diuinæ compita laudis erunt.
 Gloria sit Domino, qui sic euexerit illam,
 Ut sedem regni fecerit esse sui.
 Quod modò voce canēs Solyma super vr̄be peregi,
 Annuat Omnipotens, & velit esse ratum.

EIVSDEM TOBIÆ AD FI-
 lium pia exhortatio.

Tob. 4.

Nephtalides quondã Tobias, quo non fuit alter
 Vel virtute animi, vel pietate prior;
 Dum premitur tenebris oculorum lumine captus,
 Et patitur vitæ tædia acerba suæ:
 Ad Dominum tollit cum tristi pectora fletu,
 Eque malis querulo supplicat ore rapi.
 Ergo senex tandem quum fati tempora adesse
 Crederet ardenti sæpe vocata prece:
 Imperat acciri natum, præcepta daturus
 Ultima. mox præsto sistitur ille patri:
 Admouet ipse sibi puerum, nec multa moratus
 Incipit, ac tali soluitur ora sono:
 Fili animo dilecte meo, mea percipe dicta,
 Et cordi tanquam tu tibi pone basim:
 Quum mea ad extremum metæ peruenerit ætas,
 Hanc animam leto sustuleritque Deus,
 Cura sit extincto persoluere iusta parenti,
 Inque sepulchrali condere corpus humo:

Donec

Donec erit viuens genitrix, hanc semper honore
 Cum multa gratus sedulitate colas.
 Te siquidem illorum memorem decet esse laborū,
 Quos vtero pro te pertulit ante suo.
 Quumque simul vitæ complevit tempora, cura
 Hanc mihi vicino contumulare loco.
 In primisque Deum memori sub pectore habeto
 Semper, & elabi ne patiare tibi.
 Peccato caueas vnquam consenseris vlli,
 Iussa vel ætherei transgrediare Patris.
 Qua poteris studeas inopes releuare, nec vllō
 A miseris faciem tempore verte tuam.
 Hinc erit, vt Dominum quoties in vota vocabis,
 Molliter obuertat lumina blanda tibi.
 Quanta facultatum fuerit mensura tuarum,
 Tantus & in tenuēs sit pietatis amor.
 Si magnis opibus Dominus te fortè beabit,
 Pauperibus largas tu quoque tende manus:
 Grandia largiri si fors angusta negabit,
 Exigui promptus muneris esto dator.
 Hęc tibi viuendi ratio cumulata salutis
 Præmia, fatalis quum premet hora, dabit.
 Quandoquidem pietas illis impensa, perenni
 Morte leuat, tenebras nec subuisse sinet.
 Qui colit hanc, illi constans fiducia surget,
 Lumina quum stabit iudicis ante Dei.
 Concubitus omnes, fili, thalamosque negatos,
 Turpiaque immundi fornicis acta fuge.
 Contentus propria coniux cum coniuge viuas,
 Hanc aliquam præter sit tetigisse nefas.
 Inflatu sensus, & verba tumentia fastu,
 Moribus hæc longè sint aliena tuis.

D

Exi-

Exitium siquidem damnosa superbia primum
 Intulit: hinc nostri fons, & origo mali.
 Quod si operam precio quisquam tibi forte locarit,
 Soluendi dempta sit tibi cura mora.
 Reddere mercedem nulli tardaueris vnquam,
 Inque tua caueas hæreat illa manu.
 Tu quæcunque pati dicta, aut illata recuses,
 Abs te aliis eadem non toleranda putes.
 Sed neque sperne tuæ esurientes addere mensæ,
 Nudaque egenorum corpora veste tege.
 Mens tua si dubiis nutabit pendula rebus,
 Quod tibi vir sapiens consulat, illud age.
 Vina superpones iusti panesque sepulchro,
 Vnde iuues inopes, esurieque leues.
 Hic ego te nolim cætus adhibere profanos,
 Cumque illis positos participare cibos.
 Precipue tamen hoc moneo, semperque monebo,
 Perpetuo vt Dominum laudis honore colas.
 Vtque tuos gressusque regat, vitamque preceris.
 Semper in hoc mentis stent quoque sensa tuæ.
 Abstine nate metu, nec sit tibi nostra dolori
 Pauperies, animum neu grauet illa tuum.
 Parua quidem nobis res contigit: at satis amplæ
 Accedent, Dominum si timeamus, opes,
 Curemusque bonis vitam traducere factis,
 Et vacuas omni crimine habere, manus.

ORATIO MANASSÆ REGIS IVDÆ,
cum captus teneretur in Babylone.

A Bræ, Isaci que potens Patrū Deus atque Iacobi
 Nostrorum, & iustæ prolis ab hisce satæ;
 Qui